



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus**

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri  
edita

**Heislinger, Anton**

**Ingolstadij, 1726**

Casus XXXIV. De vi consuetudinis in solvendis decimis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40177**

## CASUS XXXIV.

*De vi consuetudinis in solvendis decimis.*

**P**arochiani Parœciæ A. loco decimarum linariarum annuatim singuli persolvunt decimatori duntaxat tres aut quatuor, jam tamen confectas, linarias oves, vulgò *drey Stachs. Ritsen* / sive dein multum, sive modicum linum collegerint. Parochus, quòd se non modicè læsum ex hoc modo decimandi agnosceret, Parochianis indicit, ut imposterum in ipso agro statim decimum manipulum liniarium persolvant. Recusant imperata exequi Parochiani, eò quòd jam à quinquaginta annis hoc & non alio modo liniariæ decimæ in illis locis sint solutæ adit itaque hac super re Judicem sæcularem Parochus, & consuetudinem 50. annorum nequaquam obesse suis commodis contendit, eò quòd documenta sua doceant, ante octoginta annos loco lini certas pecunias persolutas fuisse.

Q. 1. Utrùm obligatio solvendî decimas vel in totum, vel quo ad partem consuetudine aboleri possit?

Q. 2. Quanti temporis hæc consuetudo debeat esse?

Q. 3. Quæ forma in solvendis decimis sit observanda?

Q. 4. Quid in præsentî controversia sit judicandum?

Q. 5. An sæcularis possit esse Judex competens hujus actionis?

## SYNOPSIS.

## §. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

*Utrum lex solvendi decimas consuetudine tolli possit ?*

- |  |   |
|--|---|
| <ol style="list-style-type: none"> <li>1. Discrimen inter consuetudinem ac prescriptionem affertur.</li> <li>2. Obligatio solvendi Decimas omnino tolli, vel etiam mitigari potest.</li> <li>3. Non tamen respectu omnium fidelium.</li> <li>4. Nec debentur jure Divino decimæ.</li> <li>5. Ministris Ecclesie debetur quidem sustentatio, non autem determinatè ex decimis.</li> <li>6. Si Ministris Ecclesie fit aliunde</li> </ol> | <p>prospectum, legitima consuetudine aboleri decimæ poterunt.</p> <ol style="list-style-type: none"> <li>7. Quia potest hæc consuetudo esse rationabilis.</li> <li>8. Exemptio à non solvendis Decimis non est jus decimandi.</li> <li>9. Decimæ non sunt tributum divinum.</li> <li>10. Conditiones ad legitimam consuetudinem requisite explicatur.</li> <li>11. Ex actibus peccaminosis legitima consuetudo introduci potest.</li> </ol> |
|--|---|

## §. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

*Quot annorum consuetudo Exemptionem à Decimis conferat ?*

- |  |   |
|--|---|
| <ol style="list-style-type: none"> <li>12. Consuetudo 40. annorum exemptionem hanc confert.</li> <li>13. 14. 15. 16. Rationes voluntium sufficere 10. annos.</li> <li>17. Tot anni requiruntur, ut consensus legislatoris presumi possit.</li> <li>18. In dubio quæ multitudo anno-</li> </ol> | <p>rum sufficiat, ex prudentis Judicis arbitrio decidendum est.</p> <ol style="list-style-type: none"> <li>19. Diuturnitas temporis à Juribus usurpatur etiam pro 40. annis.</li> <li>20. Hinc isti ad exemptionem à decimis probabilis erunt necessarij.</li> <li>21. sine omni tamen titulo.</li> </ol> |
|--|---|

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Quæ forma in solvendis decimis sit observanda?

- 22. Solent, & possunt iste esse varie.
- 23. Furi communi satisfacit separatio in agris facta.
- 24. Jus Bavaricum modum decimandi relinquit arbitrio decimatoris.
- 25. Observanda tamen ubique erit legitima consuetudo.
- 26. Ad instantiam tamen decimatoris subinde invalidari ab ordinario poterit ejusmodi consuetudo.
- 27. Idem præscriptione legitima introduci potest.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

Quid in præsentis controversia sit judicandum?

- 28. 29. 30. 31. 32. 33. Rationes pro Parocho decimatore offeruntur.
- 34. Sententia fertur infavorem Parochianorum.
- 35. Solvuntur rationes oppositæ.

§. V.

Resolvitur quintum Quæsitum?

An secularis possit esse iudex competens hujus actionis?

- 36. Circa Decimas, & questio juris, & facti potest institui.
- 37. Agi etiam in petitorio, & possessorio.
- 38. Præsentis actio instituenda erit in petitorio.
- 39. Et coram solo Ecclesiastico Judice facultas cognoscendi hanc causam non nisi privilegio Pontificio à secularibus est obtinibilis.
- 40. Licet ponatur agi in possessorio retinendæ immunitatis à parochianis.
- 41. Hinc contraria praxis invito vel ignaro Pontifice alicubi exercetur.

## §. I.

## Resolvitur primum Quæsitum.

Num consuetudine exemptio à decimarum persolutione contineri possit ?

**C**onsuetudinem cum præscriptione nequaquam coincidere, præter alios ostendunt Baldus *p. 1. de præscript. q. ult. §. Moneta, de decimis c. 5. q. 4.* etenim nomine consuetudinis intelligitur jus quoddam moribus utentium approbatum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex, ita habetur *c. 5. dist. 1. & sumitur ex c. 6. de test. cog. ex opposito per usucapionem intelligimus adjunctionem dominij per continuationem possessionis temporis à lege definiti. Ita Modestinus l. 3. ff. de usurp. & usucap. alias adhuc plures diversitates inter consuetudinem ac præscriptionem ex Baldo, Innoc. Hostiensis, Butrio, Joan. Andrea Felino, adducunt Balbus & Moneta: inter quas præcipua est, quod consuetudo à communitate introducatur, & jus immediatè communitati tribuat, privatis verò solùm, ut sunt pars communitatis, ex opposito præscriptio solùm à privatis fit, vel universitate, Collegio, aut Ecclesia solùm prout istæ habent rationem privatæ personæ. Tota itaque controversia modò in eo*

versatur, num obligatio solvendi decimas omnino aboleri, emolli, aut saltem in aliquo temperari possit consuetudine contraria.

Dico **1.** Legem de solvendis decimis latam absolutè emolli, temperari, aut certo modo ita aboleri posse, ut ab ea certæ personæ, aut integra communitas eximatur. ita communior: & probatur ex *capitulo 24 hoc tit.* ubi Innocentius III. hujus nemini Pontifex avertit, quemlibet teneri decimas solvere; postmodum verò addit: *nisi à præstatione earum specialiter sit exemptus.* prob. conclus. **2.** quotidiana praxi, docente plures personas à solutione decimarum esse exemptas, prob. **3.** obligatio solvendi decimas dependet his nostris temporibus à præcepto Ecclesiastico; non autem divino, vel naturali: nisi sermo sit de illa portione, quæ ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ necessaria apparet: sed omnis lex Ecclesiastica potest tolli: ergo & c. prob. min. Pontifex aufferre saltem validè potest legem Ecclesiasticam: ergo, prob. **4.** lex antiquo

siquo in testamento de solvendis decimis à Deo lata in novo testamento fuit sublata, nec ulla alia de novo à Christo substituta: ergo non datur obligatio divina ad solvendas decimas, quæ ab homine tolli non posset: prob. 1. membrum: omnia præcepta veteris Ecclesiæ tam cæremonialia, quàm judicialia pro populo hebraico data, fuerunt lata ad tempus adventus Christi ut habet D. Paulus ad Galat. 3. ac Christo veniente cessarunt: ergo &c. prob. etiam 2. membrum: juxta D. Thomam 1. 2. q. 108. art. 1. § 2. & communem D. D. Christus Dominus nullum præceptum divinum Judiciale, aut cæremoniale tulit, præter illa, quæ ad fidem, Sacramenta, & Sacrificia pertinent: atqui præceptum de solutione decimarum non est tale: ergo non fuit à Christo latum.

3. Etsi autem summus Pontifex præceptum de decimis, quoad partem: hoc est, respectu quorundam fidelium abrogare valeat, totum tamen, seu respectu omnium fidelium auferre nequam poterit ad mentem Suarezij tom. 1. de Relig. lib. 1. tract. 2. c. 14. n. 10. Pala. tract. 10. de decimis disp. unica part. 3. n. 4. ratio est, quod talis omnimoda abrogatio dissipatio potius honorum Ecclesiasticorum esset, quàm dispensatio, cedens in gravissimum totius Ecclesiæ damnum, quæ exi-

git, ut sui ministri inopes non sint: accedit, quod etiam spirituale damnum ex tali omnimoda abrogatione resultaret, eò quod cultus divinus quoad maximam sui partem hac ratione diminuere- tur, absque decencia & debito ordine perageretur, personæ Ecclesiasticæ vilescerent, & cum illis etiam ipsorum labores ac functiones contemptui forent expositæ.

Ob. 1. Decimæ debentur jure divino: hoc autem non potest auferri à Pontifice: ergo &c. Major probatur effatis Patrum, conciliorum, ac summorum Pontificum, v. dist. debentur jure divino, si hoc sumatur in sensu quodam latiore: con. etiam in stricto: negati. dicimus autem illa esse constituta jure divino strictè tali, quæ ipse Deus immediatè per se, & non solum per suam Ecclesiam constituit: quæ autem statuta fuerunt autoritate & potestate Ecclesiæ à Deo eidem immediatè concessa, dicuntur esse juris divini latius accepti.

Ob. 2. Jure divino & naturali debetur ministris Dei atque Ecclesiæ sustentatio: atqui solutio decimarum ordinatur ad illorum sustentationem: ergo &c. v. dist. Majorem: debetur ipsdem sustentatio determinatè per solutionem decimarum faciendâ: negatur: vel per harum, aut aliarum rerum applicationem procuranda: conc. adeoque jus natu-

rale dicitur quidem, ministris Dei à nobis sustentationem tribuendam, non autem dicitur, nec exigat, ut ad illam decima pars fructuum determinatè impendatur. Ex eo autem, quòd ministris Dei ac Ecclesiae debeatur sustentatio vel per decimarum, aut aliarum rerum applicationem, sequitur, nulla consuetudine induci posse, ut ab aliqua communitate Parocho, & alijs Ecclesiae ministris nec decimæ, nec loco harum alij redditus assignentur: ratio hujus sequela est, quòd ejusmodi consuetudo foret irrationabilis, contraria legi divinæ, naturali, & positivæ, quæ dicitur, operarium esse dignum mercede sua, & de altari debere vivere, qui altari deservit.

5 Dico 2. Obligationem solvendi decimas etiam consuetudine posse tolli, aut diminui, consequenter aliquam communitatem, & ratione hujus particulares illius personas, à debito solvendi decimas esse exemptam, posito, quòd aliunde ministris Ecclesiae de sustentatione sua sufficienter provisum sit, ita sentiunt Covarruv. l. 1. c. 17. n. 8. Lessius lib. 2. c. 39. dub. 5. n. 29. Gutierrez l. 2. can. qq. c. 20. n. 64. Suarez lib. 1. cap. 12. n. 7. Fagandez de præceptis Eccles. l. 3. c. 1. Palao, Melchior, Friderich de decimis cap. 3. q. 1. n. 260. citans pro hac sententia Glossam in c. 6. causa 10. q. 3. & in c. 32. b. t. Abu-

lensem, Mentham, Sotum, Covarruv. Ferd. Vasquez, Gabriel Vasquez, Barbofam, Antonium Faber: Delbene, Gonzalez. Probari potest conclusio ex c. 32. b. t. hic enim dicitur, quòd ab aliquibus gentibus decimæ non solvantur, quamvis censentur nomine Christiani; neque hæc earum consuetudo reprobat. Probat ratione lex obligans ad decimas juxta dicta non est Divina, sed Ecclesiastica: ergo legitima consuetudine poterit auferri, vel minui, prout alias humanas leges consuetudine contrariâ abrogatas fuisse novimus.

Obj. 1. Sola rationabilis consuetudo potest tollere legem humanam: atqui hæc non foret rationabilis: prob. min. vi illius deberent Ecclesiae ministri gratis sua obsequia fidelibus præstare: sed hoc est irrationabile: ergo &c. R. 1. hoc argumento probari neminem à Pontifice eximi ab hac lege posse saltem licet. R. 2. negando minorem, & probationis subjunctæ suppositum: cum enim aliunde prospectum ponatur de sustentatione ministris Ecclesiae, gratis nequaquam suam operam præstarent: cum plus quam sui sustentationem expetere nequeant. R. 3. ejusmodi consuetudinem ex alijs circumstantijs suam honestatem accipere posse.

Obj. 2. Laici non possunt consuetudine obtinere jus decimandi:

di : ergo neque exemptionem ab ijs solvendis. prob. conf. immunes à decimis solvendis acquirunt jus ad decimas ; quia non solve- re , sed retinere decimas per se præstandas , idem est virtualiter , ac illas colligere. *¶* conc. ant. neg. conf. in probatione negatur ant. qui enim jus colligendi decimas habet : potest alios obliga- re , ut isti ex suis bonis sibi sol- vant partem decimam fructuum : qui autem duntaxat immunis est à decimis præstandis , non habet jurisdictionem , & facultatem ob- ligandi alios ad præstandas sibi de- cimas ex bonis alienis , sed im- munis duntaxat habetur à præsta- tione decimarum ex proprijs suis bonis alioquin decimatori facien- da.

9 Ob. 3. Decimæ sunt tributum Divinum , atque à solutione tri- butorum non possumus consue- tudine liberari : ergo &c. *¶* & disparitatem inter tributum , & decimas esse , quòd Pontifex tan- quam plenus Dominus consue- tudini legitimæ noluerit adimere virtutem annullandi obligationem solvendi decimas. Qualem ta- men vim ex opposito respectu tributorum sibi solvendorum sæ- culares Principes cuicunque con- suetudini derogasse legimus. 2. Si decimæ haberent rationem tri- buti , deberent illæ immediatè sol- vi in recognitionem Divini domi- nii ; cum tributa sæcularia imme- diatè solvantur in recognitionem

Regiæ potestatis : atque hoc non fit , cum illæ solvantur immedia- tè , ac per se in sustentationem , & commodum Ministrorum : er- go non habent rationem tributi. Hinc *¶* Negando Majorem,

Ob. 4. Non sufficit quæcun-<sup>10</sup> que consuetudo ad abolendam Le- gem Superioris : ex altera parte nequit explicari quales conditio- nes ad veram consuetudinem sint requisitæ : ergo &c. *¶* neg. ant. & dico illam sufficere , atque necessariam consuetudinem esse , quæ sit usus communis , seu à communitate factus , & illo tem- pore à communitate prolongatus , quod jura & leges ad stabilien- dam consuetudinem requirunt. Ita ex cap. fin. de consuetudine de- ducunt cum Panormitano *n. 11.* communiter Doctores. Ex hoc Palao tract. 10. de decimis disp. unica pu. 4. n. 1. accuratissimè de- ducit , ad illam 1. requiri , ut à communitate proveniat , ne qui- libet privatus habeat potestatem abrogandi , & dispensandi in le- ge Superioris , aut aliam introdu- cendi. 2. Debere illam rationi conformem esse , qualis erit , si nulli juri naturali , aut Divino op- ponatur , juxta Navarr. lib. 3. con- sistorum tit. de consil. Sotus lib. 1. de Just. q. 7. art. 2. §. quòd verò longum : affirmat , consuetudinem legitimam meritò nominari , de qua fieri poterat lex , vel dari pri- vilegium , non obstante prior le-  
Rrr 2 ge.



ge. Taliter enim habebit honestatem legis, cujus vim consuetudo possidet.

**II** Ob. 5. Omnis consuetudo abrogans legem est introducta mediantibus actibus peccaminosis, eò quòd conscij legis hanc fuerint transgressi: ergo non poterit esse rationalis: *re. transf. ant. neg. conf.* etenim in omni consuetudine abrogante legem, si hæc sit moribus ventium recepta, hoc necessariò evenit; in hoc enim casu, si contrarios legi actus subditi exerceant, & ab ignorantia non excusentur, necessariò peccabunt. Quòd si autem ejusmodi legi contrarij actus fuerint exerciti, & Princeps iisdem non contradixerit, ex illis malis, atque prohibitis actibus introduceretur consuetudo derogans legi. Ratio hujus est, quòd consuetudine, quæ legi naturali, aut Divinæ, vel bono publico, non erit contraria, vigente, non amplius expediat vigere legem, eò quòd hæc populo, & communitati fo-

ret scandalo, præbens occasionem peccandi, & hinc non amplius in bonum communitatis, quod tamen ad legem requiritur, fuisse lata.

Dices: ut consuetudo habeat vim tollendi legem, debet per istam nulli aliquid jus fuisse quæsitum: per legem autem decimarum est aliquid jus acquisitum Clericis: ergo non poterit lex imperans decimas consuetudine aboleri. *2.* Per diuturnam possessionem juris decimarum quæsitum, quoddam jus est ipsis Parochis. *re. 1.* Non minor vis inest consuetudini, quam præscriptioni: hæc autem potest tolerare hoc jus: ergo etiam consuetudo. *re. 2.* neg. ant. si enim jus decimandi à Parochis obtentum per hanc legem solummodo fuit, tandiu isti retinebunt hoc jus, quamdiu durabit hæc lex: ergo si lex fuit sublata privilegio, præscriptione, aut consuetudine: etiam jus tali lege quæsitum extinctum erit.

## §. II.

### Resolvitur secundum Quæsitum 3

*Quot annorum consuetudo Exemptionem à decimis conferat?*

**12** **D**ico 1. Si consuetudo derogans obligationi solvendi decimas duraverit 40, annis, immunitas ab ijs solvendis introducta fuit: ita sentiunt Panormit. Felinus, Paris. Archidiac. Alex. Balb. De-

Decius, Covarruvias *lib. 1. variar. c. 17. n. 8. §. decimo his.* Suarez *c. 13. n. 7.* cum omnibus illis, qui tenent, consuetudinem, quæ legem latam, atque usu receptam tollit, necessariò debere esse 40. annorum. Ratio est, quia tantum tempus utique sufficit, ut superior in ejusdem abrogationem consentiat. Diximus in hac conclusione, sufficere, quòd duraverit 40. annis consuetudo ab obligatione solvendarum decimarum eximens: major difficultas & controversia movetur, utrum non sufficiat minus tempus v. g. decennium.

Consuetudinem 10. annis durantem abunde sufficere tuentur del Bene *de immun. Eccles. 8. dub. 29. sect. 2. n. 17.* Palao *tract. 10. disp. unica pu. 4. n. 2.* de Lugo *de J. st. disp. 7. sect. 6. n. 94. asserens ad Legem Ecclesiasticam consuetudine abrogandam sufficere 10. annos.* Haunold *de Just. tract. 1. proemio c. 3. n. 130.* Lessius *lib. 2. de Just. dub. 14. cap. 6. circa finem cap. 6.* Gibalinus *lib. 6. scient. Canon. c. 2. q. 2. num. 22. in fine.* nituntur sequentibus rationibus.

13 Prima: ut abrogetur Lex Civilis, sufficit contuetudo decem annorum: ergo etiam, ut abrogetur Lex Canonica. Prob. conf. quantum tempus ad abrogandam Legem Canonicam sit necessarium, nullibi legitur expressum: ergo debet desumi ex dispositione Juris Civilis, sed hoc non ma-

jus tempus, quam 10. annorum exigit: ergo &c.

Secunda: illud tempus sufficit, 14 quod præbet prudens fundamentum judicandi, Principem consentire in abrogationem lata à se Legis: sed: ergo: Prob. min. in Principe seculari decennium sufficit ad hunc finem: ergo etiam in Ecclesiastico, ad quem magis spectat invigilare subditis, & illorum modum agendi accuratius observare.

Tertia: Leges requirentes 40. 15 annos loquuntur de præscriptione, non autem de consuetudine: & nulla adduci potest, quæ etiam ad hanc exigit tot annos: ergo.

Quarta: juxta Legem 1. 2. ac 16 3. *Cod. de præscript. long. temp.* item juxta Bart. Baldum, Angel. Panorm. ac alios tempus longum requirit 10. annos, & non plures: ex alia verò parte Jus Civile duntaxat longum tempus requirit in *C. quæ sit longa consuet. ex go 10. anni* sufficient.

Ex opposito 40. annos necessarios esse, defendunt Panormitanus, Fehnus, Paris. Archidiac. Covarruv. Suarez. Alexander Balbus, Decius, Corfalez *ad c. 1. de consuet. n. 11.* Pyrrhing *de decimis n. 132.* Wiestner *de decimis n. 57.* citans Lessium *lib. 2. de J. st. c. 6. n. 47* ubi asserit requiri annos 40. ad consuetudinem, quæ sit aliquo modo contra jus Ecclesiæ: hinc quando eodem *in cap. 8. dubit. 14.* asserit sufficere decem

cem annos, ut abrogetur Lex Ecclesiastica, de illa duntaxat Lege fuerat locutus, quæ de alio, quàm de jure Ecclesiæ lata fuit. Hoc ipsum, & non plus asserit Lugo de Just. disp. 6, n. 94. ab adversarijs pro se citatus. Ipse etiam Haunoldus, quem superius pro decennialis consuetudinis sufficientia ad exemptionem à solvendis decimis adduci vidimus, locutus duntaxat fuerat de consuetudine eximente à Lege in favorem communitatis, non autem ipsius Ecclesiæ lata: eùm ergo Lex statuens solutionem decimarum sit privilegium Ecclesiæ concessum, decennium sufficiens ad exemptionem à Lege Civili, non erit sufficiens eo ipso ad immunitatem à solvendis decimis.

17 Ratio illorum est, tantum tempus debuit durasse consuetudo vim Legis cujusdam abrogans, quantum necessarium est, ut præsumatur Legislator consentire in abrogationem suæ Legis: atqui ad hoc in Lege decimarum est necessarium tempus 40. annorum: ergo: prob. min. consuetudo hæc est contraria Legi Ecclesiasticæ, uti & juri, quod decimatoribus competit, & ideo in grave horum detrimentum cedit: ergo prudenter præsumi non potest, quòd illius Legislator Pontifex in minus, quàm 40. annorum tempus consentiat, ut talis consuetudo habeat vim abrogandi Legem.

Conf. non est præsumendum, quòd Pontifex ad tollendum jus reale Ecclesiarum, & suorum Ministrorum tam facillè consentiat, quàm facillè ipse consentit in abrogationem Legis, cujus abrogatio nulli jus suum auferat: ergo, licet ad abrogationem aliarum Legum Ecclesiasticarum, quæ nullum jus subditis concedunt, sufficiat decennium, ex hoc tamen non sequitur, quòd etiam illud sufficiat ad abrogationem hujus Legis. Prob. conf. Legislatores suis Legibus, statutis, & privilegijs censei quidem possunt præjudicare suis juribus, non autem ipsorum subditorum: ergo consuetudini abroganti subditorum jura non concedunt eandem brevitate temporis, quam permittunt consuetudini præjudicanti duntaxat ipsorum juribus.

Ratio secunda est, quantum tempus requiratur, ut Lex præjudicans alterius cujusdam subditi juribus abrogetur, est dubium, & nullis LL. expressè stabilitum: ergo debet prudentis Judicis arbitrio definiri; sed hoc sine læsione justitiæ non potest permittere, ut 10. duntaxat annorum consuetudo extinguat jus tertii: ergo requirentur 40. anni. prob. ant. Leges, quæ asserunt sufficere decem annos, solum loquuntur de abrogatione Legum, quæ nulli subditorum jus quodpiam concedunt: ergo est dubium, utrum hi ipsi decem anni ex dis-

posi-

positione iurium sufficiant ad abrogationem Legis decimales, tributis jus quoddam ipsis Ministris Ecclesie.

Conf. ad consuetudinem legitimam requiruntur tam rationabilitas illius, quam duratio certi temporis: ergo sicut illius rationabilitas prudentis arbitrio iudicis relinquitur, ita etiam relinquenda eidem erit longitudo temporis.

19 Conf. 2. Si decem anni sufficerent, ratio foret, quia Jura Civilia requirunt longum tempus, & hoc est decem annorum juxta Legem 1. 2. ac 3. de prescript. longi temp. atqui longum tempus non est semper decennium: ergo &c. prob. min. in *Lege qui in provincia §. 1. ff. de ritu nuptiarum* diuturnitas etiam usurpatur pro 40. annis: ergo diuturnitas temporis non dicit univ. tantummodo decem annos. Hoc totum Cujacius *lib. 18. observat. cap. 28.* ex alijs Legibus deducit, qui *lib. 2. observat. cap. 1.* affirmat diuturnitatem hujus temporis prudentum iudicio permittendam, Cujacio in hoc puncto assentiuntur, Duaren. *de LL. c. 11.* Gabr. Valquez *1. 2. disp. 177. c. 5.* Valent. *1. 2. disp. 7. q. 5.* Salas *de Legibus sect. 4.* Molina *tract. 2. de Just. disp. 77.* Basilus Pontius *lib. 6. de matrim. c. 5. n. 9.* Gibal. *lib. 6. scienti. Can. cap. 2. q. 2. n. 22.*

20 Peripensis pro utraque parte rationibus, probabilior nobis apparet posterior Authorum opinio quadraginta scilicet annos exigen-

tium, ut jus decimandi abrogans consuetudo introducatur. Nec difficilis videtur solutio rationum, quas pro se prima opinio attulerat. Ad 1. enim respondetur, conc. ant. dist. conf. ergo etiam ad abrogandam Legem Ecclesiasticam, quæ nulli tertio jus quoddam proprietatis attribuit, sufficiunt decem anni: conc. quæ tale jus tertio tribuit, nego. Secunda ratio ex eodem fundamento dissolvitur. In tertia ratione concedimus, quod nulla Lex allegari valeat, quæ expressè 40. annorum consuetudinem requirat, ut latum à Principe statutum vel Lex auferri queat: ostendimus tamen, ad illam requiri tempus longum, & sub hoc etiam intelligi à Legibus 40. annorum tempus, quod ipsum fundamentum ultimo loco adductam adversariorum rationem enervat. Dein decem annorum tempus, ut praesumatur, Pontifex derogare juri tertij, nobis haud videtur sufficiens.

Opponit haec dictis aliquis: ex hoc quod decennalis consuetudo non sufficiat ad immunitatem à solvendis decimis, male inferitur, ad hunc finem esse necessariam consuetudinem annorum 40. cur enim non sufficiant consuetudo 20. aut 30. annorum? R. consuetudo omnem suam vim accipit ex dispositione Jurium: ergo si hæc consuetudini decem, vel quadraginta annorum duntaxat tribuunt virtutem abolendi Legem

gem Canonicam; & nullibi afferunt, ad hunc finem etiam sufficere consuetudinem viginti, aut triginta annorum; optimo jure dicitur consuetudinem abrogantem Legem decimarum debere esse 40. si non sufficiant decem anni: quod autem viginti anni non sufficiant, quando non sufficiunt decem, probamus negativè, quod nulla Lex, nullus Author hoc asserens afferri possit.

- 21 Interrogat non immeritò hic aliquis, utrum consuetudo inducens immunitatem à decimis persolvendis ultra requisitos annos, etiam titulum, ad modum præscriptionis, requirat?

Eundem haudquaquam necessarium esse defendunt Felinus, Anton. Covarr. loco cit. Suarez cit. n. 13. Gabriel Vasquez tract. de Benef. c. 1. dub. 3. n. 19. Molina tract. 2. de Just. disp. 75. n. 6. Lessius lib. 2. de Just. c. 39. n. 26. Palao, Reginaldus Delbene, Diana: moventur ex eo, quod jura nullibi requirant titulum aliquem: cum frequens & diurnus communitatis alicujus usus, si illi ipsius Principis consensus legalis accesserit, vim Legis, ad quam nullus titulus est necessarius, judicetur habere.

### §. III.

#### Resolvitur tertium Quæsitum.

*Quæ forma in solvendis decimis sit observanda?*

- 22 Dico 1. Diversas dari rationes atque formas, quæ solvi absolute decimæ possunt. Primò possunt præstari in manipulis in agro separatis ac relictis. Secundò in manipulis in ade jam reconditis, Tertio si loquamur de frumentis in his à stramine jam separatis. Quarto in segete vel fructibus, adhuc pendentibus, Quintò linum potest vel insectum, & crudum adhuc, vel jam factum persolvi: ita communis ex quotidiana praxi comprobata omnium opinio.

Dico 2. Si juris communis ratio habeatur satisfacti suæ obligationi debitor, si decimas in agro separet. Ita docent Suarez c. 37. n. 7. Coninck c. 7. n. 2. Laym. c. 5. n. 2. Friderich, de decimis parte 4. cap. 2. q. 3. n. 547. cum alijs.

Probat: hac ratione jam solvuntur decimæ: ergo cum ex nullo textu juris communis alius modus possit probari, erit ista separatio in agro facta sufficiens. 2. Illa praxis sufficit, quæ est minus subjecta fraudibus, atque hæc nota

nostra est minus subjecta fraudibus, quam quæ invenit fructus horreis, & domibus Parochianorum: ergo &c.

24 Dico 3. Spectato jure Bavarico vi *utuli* 23, art. 1. esse penes decimatorem exigere decimas, aut in agris, aut in horreis: prob. verba sunt ista: *Es soll auch in eines jeden Zehend-Hurn freyen Wahl / und Willen stehen / setzen Zehend auf dem Geld, in dem Stadl / leder da er sich mit den Wäuren deshalben vergleichen wolte / in den Sad an Körner Zusage* &c. ergo &c.

25 Dico 4. Non obstantibus ordinationibus tam juris communis, quam Provincialis ille modus decimandi erit observandus, qui legitime præscripta consuetudine introductus fuit. Ita sentiunt Hostiensis, Anfrer: Parisi: Rebuff: q. 13. n. 49. & 50. Suarez c. 37. n. 7. cum alijs passim.

Prob. teste Palao *de decimis disp. unica pu. 3. n. 10.* omnes Doctores tradunt, legitime præscripta consuetudine introduci posse omnimodam vel inadæquatam exemptionem ab obligatione solvendi decimas: ergo multò facilius poterit consuetudine induci certus modus præstandi decimas, licet iste à jure patrio sit diversus, præsertim cum à jure communi nullus determinatus in specie fuerit.

26 Dico 5. Quodsi tamen ejusmodi consuetudo solvendi certo

modo decimas: v. g. in manipulis in horreo jam reconditis: in segete, ac fructibus adhuc pendentibus &c. invaluerit, ut decimator probare possit, se multoties inde læsum & quantitatem sibi debitam sæpius non accepisse ob fraudem & dolum Parochianorum ab ordinario expetere decimator poterit, ut talem consuetudinem invalidam reddat, ita docent. Engel *de decimis* §. 1. n. 13. Fridrich *de decimis* n. 536. prob. talis consuetudo est irrationabilis: ergo potest ab Episcopo abrogari: prob. ant. præbet occasionem peccandi & defraudandi decimatorem re alias eidem debita, in quantum non integra eidem fit solutio, cum ponatur ex tali modo defraudatus: hinc speculat: *de decimis ad finem* ex varijs legibus probat, à decimatore colonis inhiberi posse, ne decimas, nisi se, vel suo ad colligendas nomine suo decimas deputato præsentente ab agro separent. speculatori consentiant Covarruv. *lib. 1. var. c. 17. n. 8. v. octavo* Panormit. ac communis aliorum *in cap. 10. de decimis.*

Dices: si talis consuetudo quo ad modum solvendi decimas est irrationabilis, & ab Episcopo tollenda, quando illius occasione decimator sæpius fuit læsus, omnis consuetudo sublativa decimarum vel quoad totum, vel quoad partem erit irrationabilis: prob. seq. hac ratione etiam laudantur jura decimatorum. *xy. dist. ant. erit etiam*

S s s

irra-

irrationabilis consuetudo simpliciter sublativa decimarum, quamdiu requisito annorum spatio illa non fuerit continuata; trans, si tempore praescripto fuerit continuata, & hinc completa, negatur: si consuetudo jam fuit completa, ad decimas tali consuetudine praescriptas nullum amplius jus habet decimator: ergo non potest praetendere, quod suo juri obsit negatio decimarum post completam consuetudinem: ex opposito, si occasione certi modi solvendi decimas decimator privetur decimis sibi adhuc debitis, & necdum à Parochiano praescriptis, tunc actuale decimatoris jus hæditur, consequenter etiam tanto tempore continuata consuetudo est irrationabilis.

¶ Dico 6 Non sola consuetudine sed etiam legitima praescriptione introduci certus modus solvendi decimas poterit, ita Covarruvias *loc. cit.* Gravetta *consil.* 21. Gutierrez *can. qq. l. 2. c. 21. n. 45.* cum alijs. Probatur. pra-

scriptione potest induci omnimoda exemptio à solutione decimarum: ergo etiam, ut hoc & non alio modo praesentur decimatori. Prob. 2. in praescriptione hujusmodi non igitur de jure aliquo spirituali; neque alicui juri spirituali Ecclesiae praescribitur: ergo praescriptione certus quidam modus introduci poterit. Primum membrum antecedentis patet: alterius veritas ex eo deducitur, quod remota consuetudine, aut praescriptione Ecclesia probare nequeat, sibi determinatum quandam modum solvendi decimas comperere. Secundò: tantummodo praecipuum est, ut decimæ solvantur: sed hæc solutio potest absolute fieri, quocumque demum modo praesentur decimæ, ergo per se, ac praescindendo à consuetudine ac praxi non est necessarius determinatus quidam modus solvendi decimas, quia nullum novum onus alicui imponendum venit.

#### §. IV.

#### Resolvitur quartum Quæsitum.

*Quid in praesenti controversia sit judicandum?*

**P**riusquam ad finalem conclusionem procedamus asserimus rationes decimatori Parocho faventes.

Quod integrè, & nullis exceptis deductis ex omnibus fructibus prædialibus decimæ persolvenda sint, invenimus statutum

8, 4, 5, 8, 21, 25, & 32. de decimis: in his præcipitur, ut absque diminutione aliqua, cum integritate, & plenarie &c. Decimæ persolvantur. atqui non solvuntur integrè, si quilibet subditus solvat duntaxat tres, aut quatuor aves linarias, vulgo *Flachs-Weissen* / cum incredibile ut angulos parochianos æquales semper fructus linarios, præsertim diversis annis, ex suis agris colligere: ergo Parochus videtur hætenus, minus iusto accepisse, consequenter potestatem habere obligandi suos Parochianos, ut decimum semper linearem manipulum sibi in ipso agro persolvant.

9) Secundò: non possunt Parochiani quidpiam è fructibus perceptis detrahere, ac pro se retinere in compensationem expensarum, quas in colendis agris facere debuerunt. Ratio est, quòd decimæ juxta SS. Canones sint solvendæ ex omnibus fructibus terræ, ac nullibi addatur, deducendas antea esse expensas, aut tributorum solutionem, eò quòd in assignatione partis decimalis, sola commoditas decimatoris spectata fuerit *cap. tua nobis: de decim.* consentientibus Innoc. in *cap. pastoralis* & Panormit. *ibidem n. 9.* Suarezio *lib. 1. cap. 35. n. 4. 5.* & 6. Lessio *lib. 2. de decimis cap. 39. dub. 3. n. 16.* Fagundez *de 5. Ecclesie præcepto lib. 1. cap. 4. n. 6.* Bonacina *disp. ultima de 5. Ecclesie præceptis q. 5. p. 3. in fine*

*Palao de decimis disp. unica pu. 2. n. 21.*

Tertiò; frumentum, postquam à solo est separatum, etiam antequam inferatur horreo, est solvendum: ergo etiam linum crudum, & adhuc imperfectum erit in prato, postquam à solo separatum fuit, decimatori præstandum: cum etiam habeat rationem fructuum prædialium.

Quartò decimæ non tantum ex frumento, sed etiam ex omnibus cæteris fructibus sunt præstandæ: ergo non possunt prætere Parochiani, quòd ex lino illas persolvere non teneantur, ant. constat, quia decimæ solvuntur in recognitionem divini dominij, sed hoc se extendit ad omnes fructus.

Quintò ex actis & documentis decimantis Parochi constat, quòd ante octoginta annos loco lini certæ pecuniæ fuerint à Parochianis persolutæ: ergo sicut non obstante hac praxi loco pecuniæ postea linum in natura potuit decimator exigere: ita non obstante moderna praxi, quæ solvit linum jam factum in eadem semper quantitate, poterit imposteorum exigi linum infectum & crudum, itam ubi hoc à solo erit separatum, & quidem decimus semper manipulus.

Sextò. decimatori etiam favet ipsum jus patrium seu Bavaricum, nam juxta statuta Bavarica *tit. 22. art. 12.* in potestate decimatoris



est, decimas aut in agris, aut in horreis exigere: ergo etiam manipulos lini in ipso agro adhuc jacentes poterit exigere.

33. Septimò. sicuti invalida est emptio, in qua aliquis est læsus ultra dimidium, ita etiam qualibet alia conventio, & contractus erit nullus, quando alter contrahentium ultra dimidium est læsus: ergo, licet antecedentes decimatores contraxissent taliter cum Parochianis, ut singulis annis tres linariæ aves vulgo *Stachs* = *Reisen* persolvantur, quia tamen per hoc ultra dimidium decimator læsus fuit, contractus ille nullus erit, atque invalidus.

Hæc sunt potissima fundamenta, quæ pro se asserere decimator Parochus poterit, quæ, an satis firma sint, postmodum videbimus.

34. Cæterum ex principijs, quæ in decursu hujus controversiæ hætenus stabilivimus, non difficilis accedit præsentis casus decisio: etenim juxta dicta in primo §. constat, legitima & rationabili consuetudine exemptionem solvendarum decimarum vel quo ad totum, vel quo ad partem abrogari posse, supposito, quòd decimatori Parocho aliunde sufficienter de sustentatione sit prospectum. In §. 2. & 2. quæsti resolutione conclusimus, consuetudinem, quæ exemptionem à solvendis decimis inducit debere esse annorum ad summum qua-

draginta. Resolutio tertij in §. 3. propositi quæsti nobis innuit, etiam formam, qua solvi possint, ac debent legitima consuetudine posse induci: restat ergo, ut omnes circumstantias in præsentis lite perpendamus.

Primò itaque notandum, Parochianos non abnuente decimatore Parocho asfirmare, ad minimum 50. annos effluxisse, ex quæ qualibet familia ex linarijs fructibus, sive dein hi multi, seu modici extiterint, annuatim tres aut quatuor duntaxat linariæ aves vulgo *Stachs* = *Reisen* persolverit abunde itaque constat, consuetudini huic nequaquam deesse requisitum quadraginta annorum tempus.

Eandem pariter rationabilem esse, nemo inficias iverit, eò quòd nulli juri divino, naturali, aut statuto cuidam Ecclesiastico sit opposita. His accedit, quòd praxis ista videatur ortum habere ex quadam conventione Parochianorum cum decimatore Parocho quondam inita; si enim iste in suis actis & documentis invenit, quòd ante annos octoginta certa quantitas pecuniæ loco lini in natura persoluta fuerit cum fundamento asserimus, ac præsumimus, decimatori, quando ista praxis introducta fuerat, acceptius fuisse, ut imposterum linariæ decimæ jam factæ in ipsa natura persolverentur: præterea cum videret decimator, multum laborem, & expen-

penfas sibi faciendas fore, si manipuli linarij in ipso agro crudi & necdum confecti decimatori solverentur, convenerat cum Parochianis, ut tres duntaxat aut quatuor aves linarias, vulgo *Stach* & *Reifet* singulae familiae, quae linum collecturae essent, pro illo anno sibi solverent, ita ut in compensationem laborum, quos in conficiendo, & preparando lino Parochianos facturos praeviderat, aliquid de consueto numero manipulorum linariorum eisdem remiserit, vel potuit contingere, ut quantitas pecuniae ante octoginta annos solvi solitae adeo modica fuerit, ut haec pretium, quae ordinariè & communiter tales tres aves linariae comparantur, non excefferit, & Parochiani novis sub conditionibus in alium novum, atque inusitatum tunc temporis modum solvendi scilicet decimas linarias in natura, consentire recusaverint, nisi decimator, universim singulis annis in solutionem talium trium linariarum avium consenserit, atque ob istam causam, hanc formam, & quantitatem solvendarum decimarum decimator acceptaverit.

Quidquid autem horum evenerit, manifestum est, ejusmodi consuetudinem rationabilem, & hinc legitimam esse, habere etiam vim, communiter receptam formam, & quantitatem solvendarum decimarum abrogandi, consequenter Parochianos ad majorem

rem quantitatem, vel aliam novam quandam formam linariarum decimarum à Judice competente compelli hic & nunc non posse.

Rationes, quas decimator Parochus pro se num. 28. & sequentibus attulerat nequaquam videntur insolubiles, ad propositam itaque num. 28. primam rationem reponimus, ibidem adducta habere locum per se, ac praescindendo à contraria praxi per legitimam consuetudinem inducta: qualem in his partibus vigere Parochiani, nequaquam contradicente Parocho probare & affirmare possunt, numero 29. allato fundamento satisfaciamus dicendo, minoris quantitatis solutionem nequaquam ut justam ex eo deduci, quod in colendo, & serendo agro expensas facere Parochiani debeant, sed de hac nonnihil remissum fuisse ob indebitum laborem, quem Parochiani in faciendo, & preparando lino subeunt: nemo enim dicit, quod praescindendo à vigente praxi contraria linum factum decimatori sit solvendum: ergo Parochiani compensationem exigere poterunt, si ipsimet linum praeparent; cum constet, quantus labor mulieribus in conficiendo lino sit subeundus.

Num. 30. Proposita ratio tertia habet locum vi juris communis, & praescindendo à legitima consuetudine contraria, quam observandam ubique esse, superius

probavimus. Idem reponimus ad quarto loco adductam rationem.

Quod quinto loco, & n. 31. fuit propositum, solvitur, si dicatur, posse quidem mutationem quandam in hoc fieri non obstantem praxi contraria, si liberrimus Parochianorum consensus accesserit, & isti sponte jure suo cedere decreverint. Hinc asserimus mutationem illam de qua in cit. n. 31. mentio fuit facta, cum voluntario tunc temporis viventium Parochianorum consensu fuisse institutam. Quod si decimator contendat etiam invitos, ac repugnantem Parochianos ad mutandam illius temporis consuetudinem compulso fuisse. Eidem tanquam asserenti incumbet probatio, quod si hoc ipsum quoque ostendat factum fuisse, dicimus, ex errore, ac jurium ignorantia in hanc mutationem consensum à Parochianis praestitum fuisse. Item potest dici, quod praxis illa solvendi certam pecuniam loco linearum decimarum ex conventionem à Parocho cum Parochianis inita profluxerit: quæ cum consensu Parochianorum ad certum tempus facta, dein expiraverat.

Num. 32. Pro sexta ratione allatum fuit jus Bavaricum, decimatori relinquens facultatem eligendi modum colligendi decimas: reponimus, hæc locum habere, ubi nulla adhuc determinata consuetudo in colligendis decimis invaluerit.

Ultimo loco allatum ex eo videtur nobis esse inefficax, quod consuetudo suam vim obtineat dependentem à consensu legislatoris non autem à voluntate contrahentium: ex legibus autem habemus, superiorem Ecclesiasticum in valore legitimæ consuetudinis in ordine ad inducendam exemptionem à decimis consensisse.

Præter hæcenus allata Parochianorum Exemptioni obviare videtur, quod jus ipsi Parocho assistat, & resistat Parochianis quoad exemptionem: ergo Parochus decimator contra Parochianos erit manutenendus: verum Respondetur cum distinctione, erit manutenendus, si ipsi parochiani non forent in notoria possessione suæ exemptionis, quoad majorem quantitatem, aut aliam formam solvendi decimas linearias: conc. si sint in hac notoria possessione 50. annis ad minimum continuata n. 50.

## §. V.

## Resolvitur quintum Quæsitum.

An secularis possit esse Judex competens hujus actionis ?

36 Circa decimas institui potest vel quæstio facti, vel quæstio juris, hæc datur, quando Ecclesia præten dit jus decimandi ex una parte, ex altera verò laicus; in quantum asseritur ab isto decimas sibi competere per investituram: aut illas mediante privilegio fuisse concessas: item immunitatem à solvendis decimis consuetudine, aut præscriptione fuisse obtentam, quando autem duntaxat quæritur, num is, quem constat ad solvendas decimas esse obligatum, istas solverit, vel non: num in illarum solutione fraus aliqua commissa fuerit: num furto sublatis fructus ante vel post decimationem fuerint: præterea quando obligatus ad decimas fructus indecimatos, qui juxta consuetudinem in agris essent decimandi horreo intulit, aut fraude vel negligentia corrumpit; in istis ac alijs similibus casibus quæstio facti mota fuisse dicitur.

37. Item potest circa decimas agi in petitorio, vel in possessorio, in petitorio agetur, quando controverfia de jure decimandi fuerit mo-

ta: possessorium fuit intentatum, si agatur de adipiscenda possessione, quam aliquis nunquam habuit, vel de retinenda, dum aliquis in sua possessione turbatus fuerat: vel de recuperanda, quod contingit, cum ex hac dejectus restitui à Judice desiderat.

38 His præmissis ad particularē nostrum casum descendendo, videndum, num lis in petitorio, possessorio, aut denique in actione mixta ex petitorio, ac possessorio instituenda veniat, saltem ad mixtam quandam ex actione in petitorio ac possessorio quæstionem, (si non tota in solo petitorio moveatur) hanc actionem revocandam exinde deducitur; quia laici parochiani immunitatem à solutione decimi manipuli linarij in ipso agro statim facienda prætendunt, contendente vicissim Parocho sibi jus ad hunc decimum manipulum linarium in agro colligendum competere: ejusmodi quæstiones in petitorio moveri defendunt speculator Calderinus, Fridericus, Sen, Caspandus Fulgosus, Gutierrez, Petrus Barbosa in legem Titia 35. ff. fol.

sol. matr. cum alijs apud Friderich de decimis n. 578.

Prob. per se parochiani non sunt exempti à solvendo decimo manipulo: ergo ut se immunes ostendant, fundamentum ac titulum suæ immunitatis afferre debebunt, ac videndum, num iste sufficiens sit: sed hæc est quæstio Juris. prob. subsumptum, quæstio Juris est, an & qualis, seu quot annorum consuetudo eximat parochianos à decimis.

Confirmatur, quando quæritur, num aliquis ad solvenda tributa per se obligatus ex certo quodam titulo, quem præterdit, ab illorum solutione sit immunis, est quæstio Juris: ergo etiam quærere, utrum consuetudo valida, vel eximens à solutione decimi manipuli revera detur, erit de Jure.

Confirmatur secundò, quando parochiani se totaliter immunes à solutione decimarum linariarum vi legitimæ consuetudinis profiterentur, foret quæstio Juris: ergo etiam quæstio Juris erit, quando ob consuetudinem dicunt se immunes ex parte; prob. conf. vi legis ex *Assè. ff. de hered. Instit.* eadem est ratio de parte, quæ de toto, item æquè est quæstio de Jure, quærere utrum parochus simpliciter habeat jus ad decimas linarias, ac utrum habeat jus ad majorem quantitatem, ad quemlibet scilicet manipulum linarium,

& non tantum ad tres linarias aves vulgò *Stachs = Hirschen*.

Confirmatur tertio, quam conditiones ad validam, & obligationi solvendi decimas derogantem consuetudinem requirantur; & num hæc dentur in quadam consuetudine, involvit quæstionem Juris: atqui in præfenti controversia de hoc movetur quæstio: ergo &c.

Confirmatur quarto, an consuetudine extingui obligatio solvendi decimas possit, pendet ex eo, an hæc sit divino, naturali, aut tantum Ecclesiastico Jure introducta, cum solo Jure Ecclesiastico inducta obligatio contraria consuetudine abrogari possit: ergo quæstio, utrum aliqua consuetudo obligationem decimarum extinxerit, est quæstio de Jure, utrum scilicet hoc jus sit divinum, naturale, aut Ecclesiasticum.

Dico: hæc causa coram solo iudice Ecclesiastico agitar da erit, ita sentiunt, quicumque tuentur causas decimarum in petitorio, seu in quæstione Juris à iudice Ecclesiastico eventilandas esse, sunt autem hujus opinionis omnes etiam legistæ, qui speciatim authores istos inspicere desiderat, inveniet plures citatos apud Azorium *Instit. Moral. p. 1. lib. 7. cap. 36. q. 1.* Prob. conf. Instituitur hæc quæstio de re ac Jure Ecclesiastico, sive spirituali: sed de istis cognoscere sæcularis Judex non potest: ergo &c. major constat ex priore numero.

mero, item ex cap. parochianos, de decimis Glossa in cap. ex tenore; de foro competente item cap. 2. de Jur. calum. causa decimarum dicitur spiritualis juxta cap. fin. de rerum permut. jus decimandi est spirituale prob. itaque min. secularis non potest de spirituali hac obligatione, aut exemptione solvendi decimas cognoscere per se, quia Ecclesiastica cognoscere ad Ecclesiasticum duntaxat iudicem pertinet vi Clement. Dispendiosa de Judicijs, § cap. decernimus de Judicijs: quin imò vi cap. contingit de arbitris: Judex civilis etiam simul cum Ecclesiastico de causa spirituali cognoscere ac judicare nequit, eam ratione compromissi idem habetur c. 2. § 3. de Judi. c. 3. de ordin. cognit. cap. 6. § 7. qui siij sint legitimi, Trident. sess. 24. can. 12. de mati.

Prob. eadem concl. 2. teste Gaill lib. 1. observat. 38. n. 2. Hartman. pract. for. lib. 2. c. 2. Miscell. §. 11. Camera Imperialis hac praxi utitur, ut causas decimales in petitorio non recipiat: sed hæc causa est in petitorio: ergo &c.

40 Dices forsitan cum nonnullis, secularem iudicem non posse de decimis cognoscere ordinariè, & in quibuscunque quaestionibus super Jure decimandi motis, eadem tamen competere hanc facultatem, si postularis laicus immunitatem decimarum opponat

ex consuetudine, prout hic contingit contra enim est: cognitio talis causæ competeret seculari, vel quia non est spiritualis: vel si etiam est spiritualis, attamen ex privilegio pontificio, consuetudine, aut præscriptione, hæc facultas secularibus Judicibus acquisita fuit, neutrum potest dici: non primum, quia probavimus, quaestionem esse de Jure quodam spirituali: non secundum, quia tale privilegium Pontificum, deberent exhibere, & non possunt: præscriptionem hujus Juris prætere nequeunt, cum jus spirituale à laico præscribi nequeat, eò quod illud non possidere valeat vi cap. causam: que de præscript. § cap. prohibemus: de decimis, denique neque ex consuetudine, quamvis longissima: hæc enim capacem juris non efficit, qui hujus est incapax, qualis est secularis. Joan. And. Abbas, Glossa & alij in cap. causam: que de præscription. Confirmatur: communis sententia docet consuetudinem plus autoritatis, & Juris non conferre hujus Juris incapaci, quàm quòd autoritatis, & Juris confert Romani Pontificis privilegium: ergo tale privilegium exhibendum ab iisdem erit, & à Judice Ecclesiastico examinandum exhibiti privilegij valor, atque ex hoc accedens privilegiato jus immunitatis à solvendis decimis: ergo secularis Judex non poterit ista decidere.

T t

Ob,

41 Ob. 5. In hoc casu agitur in possessorio retinendæ immunitatis à decimis : ex parte verò decimatoris in possessorio recuperandæ decimationis, sed in causis talibus potest cognoscere Judex laicus ergo: 1. transmissa majore à nobis posse neg. min. oppositam enim opinionem, quæ docet in possessorio recuperandæ decimationis, & retinendæ immunitatis à decimis solvendis cognitionem causæ soli Ecclesiastico Judici competere, defendunt Gutierrez & Gaill. asserentes hanc esse communem : eò quòd in istis causis afferendus sit titulus, & de re aliqua spirituali cognoscendum, insuper sacra Jura cap. 2. § 3. de Judic. & Clem. 2. eodem absolutè ac sine discrimine inter quæstionem facti, & Juris cognitionem causarum de rebus Ecclesiasticis judici laico denegent,

42 Ob. 2. In pluribus Provincijs permittitur ab ordinarijs, ut laici Judices in similibus casibus controversias decident; ergo 1. D. 2. hoc permittitur, quia commodè impediri non potest, vel ignorante Pontifice, invito aut etiam positivè reclamante conceditur animo lubenti, & approbante neg.

Potissima verò ratio, ob quam soli judici Ecclesiastico in causa immunitatis à solutione decimarum cognitio comperat, est hæc, quia est quæstio Juris, dum prætenditur immunitas à solvendis decimis vi consuetudinis, præscriptionis, aut contractûs obtentæ : ergo debet de valore hujus consuetudinis cognosci, consequenter est quæstio Juris. 2. Decimator prætendit se habere jus ad decimas quod est quid spirituale, de quo solus Ecclesiasticus cognoscit.